1529. Ex Ms. arch: Stan: Aug: Regi:

Sigismundo primo regi Poloniæ
Petrus Tomicki episcopus Cracov: reg: Pol: Vicecanc

287

Sacra regia majestas et domine clementissime
Post humilem servitutis et orationum mearum
commendationem. Cum Varsovia nuper disce-
dens, Dominum castellanum Lublinensem ob-
viam in Czerhko haberem, et de his quæ apud
Imperatorem Turcarum egit et curavit ab illo
sciscitarer inter cætera, quæ sibi prospera seu
adversa accidisse commemoravit, Ivasconem ar-
menum interpretem suum mihi magnope-
re laudavit, fidem diligentiam et studium sin-
gulare illius erga Majestatem Vestram pluri-
mum commendans, quare isto non vulgari te-
stimonio de ejus virtute premotus et quod
etiam ipsemet Ivasco me rogavit, Majestati
Vestræ illum commendatum duxi, quam eni-
xè rogo, ut ejus virtutem et operæ diligentis
officia, industriæ, et cum summa fide præ-
stita gratia, et munificentia sua regia
sublevare dignetur, qua re et illius servitu-
tem sibi perpetuo devinciet Majestas Ve-
stra, et domino castellano Lublinensi ma-
gnam consolationem afferet, qui jam con-
stituit in animo brevi isthuc ad Majesta-
tem Vestram cum fœderis literis proficisci, et
excusare id, quod pro mandato illius ad Con-
ventum Varsoviensem non venerit, ægritudi-
ne gravi impeditus, in quam sub ipsum fe-
rè tempus conventus inciderat, literas fœde-

rum

rum ego non legi, obsignatæ enim erant, et
ego missus illas resignare non audebam, qua-
re cum erunt ad Majestatem vestram alla-
tæ, si dignum id existimaverit ut mihi com-
municentur, quæ illic sunt scripta mihi illo-
rum exemplum scribi et mitti mandare di-
gnetur, commendo me rursus, et humilem ser-
vitutem in gratiam Majestatis vestræ sere-
nissimæ, quam felicissimam esse et in mul-
tos annos cum serenissima conjuge de
liberis incolumem vehementer desidero.